



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

IX. Quod ad co[m]munes causas ecclesiae generale Concilium  
co[n]gregari oporteat, in priuatis vero causis speciale vniuscuiusque  
prouinciaae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

ANNO  
 CHRISTI  
 416.

nes. Nam quare additum est, *omnes*, nisi vt ista sententia conueniret & psalmo, vbi legitur: *Non in- Psa. 141.*  
*tres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in*  
*conspetu tuo omnis viuens?* Et in oratione sapientif-  
 simi Salomonis: *Non est homo qui non peccet.* Et in li- *Ecc. 7.*  
 bro Iob: *In manu omnis hominis signat, vt sciat omnis* *Iob. 57.*  
*homo infirmitatem suam.* Vnde etiam Daniel sanctus  
 & iustus, cum in oratione pluraliter diceret: *Pecca- Dan. 9.*  
*uimus, iniquitatem fecimus, & cetera,* quæ ibi veraci-  
 ter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemad-  
 modum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de  
 populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum* *Ibidem.*  
*orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi*  
*mei Domino Deo nostro:* noluit dicere, peccata no-  
 stra sed & *populi sui* dixit: & *sua*: quia futuros i-  
 stos, qui tam male intelligerent, tamquam prophe-  
 ta præuidit.

VIII.

Item placuit, vt quicumque verba ipsa domi-  
 nicæ orationis, vbi dicimus: *Dimitte nobis debita no-*  
*stra,* ita volunt a sanctis dici, vt humiliter, non ve-  
 raciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat  
 orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino men-  
 tientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde  
 dicit, quæ sibi dimittantur, sed debita non habere?

Cod. Can.  
 cap. 116.  
 Conc. Afr.  
 cap. 83.  
 Math. 6.

Hucusque de fide contra Pelagianos, nunc re-  
 gulæ tractentur ecclesiasticæ.

IX.

Placuit, vt non sit vltra fatigandis fratribus an-  
 niuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa  
 communis, id est, totius Africae, vndecumque ad

Cod. Can.  
 cap. 95.  
 Conc. Afr.  
 cap. 62.

hanc sedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam esse Synodum in ea prouincia, ubi oportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt in suis prouinciis iudicentur.

## X.

Cod. Can.  
cap. 106.  
§. vlt.  
Conc. Afr.  
c. 73. §. vlt.

Placuit etiam peti, vt omnium episcoporum epistolis omnibus, de Concilio dandis, sanctitas tua sola subscribat.

## XI.

Cod. Can.  
& Conc.  
Afr. cod.  
cap.

Placuit & illud aduersus hæreticos vel paganos, vel eorum superstitiones, vt legati missi de hoc glorioso Concilio, quidquid vtile prouiderint a gloriosissimis principibus impetrent.

## XII.

Cod. Can.  
cap. 103.  
Conc. Afr.  
cap. 70.

Placuit etiam & illud, vt preces vel orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, siue præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.

## XIII.

\* Palentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequar ea quæ necessaria sunt ecclesiasticæ disciplinæ. Scimus enim, sic inuiolate permanisse ecclesiasticam disciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone, sed officiis \* legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationaliter semper acciperetur. Hunc ordinem iubeat  
san-